

dicunt habitudinem ut ad subiectum denominationis,  
v. g. visio ad patientem &c.

§. 19.

Ex quibus tandem liquidum est, actum certo modo  
in absolutum & respectivum esse distinguibilem. Dein-  
de actus in §. 18. explicatos ita esse respectivos, ut nullo  
modo absolutorum in censu haberi queant, idque ma-  
xime ob relationem ad potentiam passivam sibi propri-  
am. Tertio manifestum est, Actus communiter abso-  
lutos vocatos, ita non vocandos propter potentiam ob-  
jectivam, sed solùm propter potentiam passivam, quod  
ab omni ordine & habitudine ad illam plane sint absolu-  
ti & immunes, & quod aliquo modo etiam propter or-  
dinem ad potentiam objectivam, dici possint actus re-  
spectivi. Nam si absolutum velit aliquis vocare illum,  
qui neque ad passivam, neque ad objectivam aliquam  
saltem habitudinem & relationem importet, ille sibi fin-  
get actum plane chimericum & non dabilem, esse enim  
actum, & tamen hoc modo esse absolutum, est implica-  
tio in terminis, quibus idem esse & non esse actum adseri-  
tur. Atque adeo si de actu ut sic quis velit absolute lo-  
qui, certe inficias vix iverit, omnem actum aliquo modo  
esse respectivum, cum omnis actus ad potentiam ali-  
quam, minimum objectivam, aliquam dicat relationem.  
Id quod nec illi diffiteri poterunt, qui supra §. XI. Radæ  
adversabantur, quando dixere, Actum entitativum esse  
actum respective sumptum, cum dicatur in ordine ad  
potentiam objectivam. Hinc argumentamur. Actus  
entitativus est actus respective sumptus, Actus absolu-  
tus Deus & angeli, est actus entitativus. Ergo actus ab-  
solutus, Deus & angeli, est actus respectivus. Major ipso-  
rum est. Minor tenet, quia actus absolutus est verum ens,  
quod habet existentiam.

III. De